



Syntagmata Theologica Sive Principalis Theologiæ Tractatus

Continet triplicem Tractatum: Primus est de Conscientia. Secundus agit de Merito. Tertius de Reviviscentia meritorum.

Lourenço, Agostinho

Leodici Eburonum, 1692

Sectio III. Proponuntur ratio, ob quam merita possunt redire.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80151](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80151)

pœnam; siquidem cum absolutâ remissione culpæ potest componi dignitas totius pœnæ, non solum quando remissio fit per extrinsecam condonationem Dei, sed etiam per gratiam justificantem, ut docet P. Ripal. cit. num. 22. Secundò, quia negari etiam potest, privationem remunerationis gloriæ esse pœnam culpæ commissæ, sed effectum formalem secundarium necessariò sequutum ipsam culpam; siquidem pœna, ut aliqui dicunt, est malum decretum à culpa ex sententia iudicis ipsi culpæ decretum; at verò privatio ejus remunerationis, sicut & meritum, potest dici malum individuum à culpa, ipsam necessariò sequutum seorsum à sententia iudicis, cujus arbitrio, & remissioni subiectum non est.

41. Sexta ratio est, quia licet Deus possit, si velit, ratione injuriæ punire iustum privatione pristinae dignitatis ad gratiam, & gloriam, suppositâ tamen liberali remissione hujus pœnæ, non possunt merita non redire; siquidem eorum reditu solum poterat obesse pœna privationis eorum, quam Deus ratione culpæ poterat infligere; ergo eâ pœnâ condonatâ cum culpâ, restituitur homo in pristinum statum, quem ante culpam habebat; consequenterque suppositâ hac liberalitate Dei, quam Deus potest exercere, & de facto exercet, potest homo recuperare, & de facto recuperat priora merita per peccatum mortificata. Ita P. Soar. apud P. Ripal. cit.

42. Non placet, quia hæc ratio potius supponit, quam probat possibilem reditum meritorum ex previa liberalitate Dei; si autem reditus meritorum non supponitur possibilem, non potest ejus privatio esse pœna subiecta sententiæ iudicis punientis culpam, neque liberæ remissioni ipsius; siquidem pœna sententiæ, & remissioni iudicis subiecta, debet esse malum separabile à culpa semel commissâ, ut supra diximus; sed privatio pristinae dignitatis non est separabilis à culpâ semel commissâ, imò est ad eam essentialiter ei annexa, ut neque in pœnam decerni, neque in veniam venire possit; ergo etiam ea dignitas, neque ex natura rei, neque ex Dei misericordia redire potest.

SECTIO III.

Proponitur ratio, ob quam merita possunt redire.

43. **H**actenus adductis, & rejectis rationibus satis constat difficillimum quidem esse, ut ait P. Vasq. tom. 3. in 3. part. q. 89. art. 3. dub. 1. num. 26. ratione probare meritorum reditum, & reviviscentiam. Unde judicavit Ocham, & cum eo alii, hanc veritatem non posse aliundè, quam ex autoritate ostendi. Duo tamen sunt ratione explicanda. Primum cur merita redeant? Secundum cur non redeant demerita? Ad utrumque probandum aliqua præmittenda sunt, ex quibus possit ratio confici. Igitur quoad primum:

44. Præmitto primò, vim meritoriam bonorum operum in præmium non esse formalem, sed efficientem moralem, ut docuit D. Thom. q. 29. de Verit. art. 6. Probatur, quia forma non causat suum effectum formalem, nisi existens pro eodem instanti reali, & in eodem subiecto cum effectu formali; nam effectus formalis non distinguitur à sua causa formali applicata subiecto; sed meritum potest causare præmium, tum pro instanti, tum in subje-

Tom. 2.

cto diverso ab eo, in quo existit; ergo non illud causat formaliter, sed efficienter moraliter. Probatur Minor, quia meritum elicium in hoc instanti movet, & meretur præmium conferendum pro instanti sequenti, & etiam posse conferri alteri subiecto diverso ab ipso merente; siquidem causat præmium medio affectu superioris, quem movet ad illud conferendum; elicium autem pro hoc instanti potest movere superiorem ad præmium pro sequenti instanti, & alteri subiecto conferendum; ergo potest causare præmium, tum pro instanti, tum pro subiecto diverso ab eo, in quo existit; cõsequenterque non illud causat formaliter, sed efficienter moraliter.

45. Undè fit, quod licet meritum possit perseverare moraliter, non exigit talem perseverantiam ad suam causalitatem, sed solum quod pro uno, aut pluribus instantibus semel elicium, & physicè existens apprehendatur: neque etiam exigit, quod merens actu, quando præmium confertur, sit dignus, sed quod fuerit dignus pro eo instanti, quo præmium meruit; siquidem pro illo tantum instanti consideratum physicè existens movet superiorem ad præmium conferendum, quin deinceps augeatur vis meritoria ex eo, quod moraliter perseveret: & superior ex consideratione tantum illius existentia afficitur in merentem, & præmium decernit, sive statim, sive alio tempore conferendum.

46. Declaratur exemplis: Primò, quia merita parentum profunt filiis apud Regem, licet parentes actu non sint, nec eos merita actu reddant dignos, solum quia illi per talia merita fuerunt digni præmio nunc conferendo. Secundò, quia si Christus Dominus postquam nobis meruit, desineret esse, aut ejus Humanitas privaretur unione Hypostaticâ, & peccaret; adhuc ejus meritum posset exercere causalitatem meritoriam, solum quia verè existens movit voluntatem Dei, ut nobis dona gratiæ dispensarentur, licet deinceps Humanitas non esset existens, neque digna; ergo &c. Confirmatur, nam D. Paul. ad Hebr. 6. idèd exposuit vim meritoriam operum per memoriam ipsorum dicens: *Non enim injustus est Deus, ut obliviscatur operis vestri*: quia scilicet opera meritoria, ut talia sunt, non egent existentia actuali, sed præterita, quæ est memoriæ objectum; ergo &c.

47. Præmitto secundò, peccatum meritis superveniens non opponi eorum virtuti meritoriae immediatè, & in genere causæ formalis, sed mediatè, & in genere causæ efficientis moralis, nempe demerendo dona, quæ opera bona præterita meruerunt. Probatur prima pars, quia oppositio formalis non potest exerceri, nisi in eodem subiecto, & pro eodem instanti reali; siquidem pro diversis instantibus possunt eidè subiecto, & diversis subiectis diversi effectus formales convenire; sed vis meritoria operum præteritorum existit in tempore antecedente peccatum, nempe quando opera physicè existunt, quin necessaria sit perseverantia moralis ad causalitatem meritoriam, ut proxime diximus; ergo peccatum subsequens commissum non potest destruere vim meritorum in genere causæ formalis immediatæ.

48. Probatur secunda pars, quia sicut vis meritoria præmii in opere bono est moraliter efficiens, ita moraliter efficiens est vis meritoria pœnæ in opere malo; utpotè quam opus malum potest causare pro instanti diverso ab eo, in quo ipsum existit, non solum subsequenti, sed etiam antecedenti; nam sicut Deus potest anticipare præmium merito, ita

R r r

etiam

etiam pœnam peccato; ergo meritum antecedens, & peccatum subsequens opponuntur quoad effectum morale, sive effectivè moraliter: eo modo, quo duo agentia contraria æqualiter applicata eidem passio pugnant pro inducendâ suâ formâ; sic enim meritum movet ad collationem doni, & demeritum ad privationem illius. Cum hoc tamen discrimine, quod inter agentia naturalia prævalet activitate validius: inter moralia verò, quod Deo, & superiori libitum est, ut potè eujus arbitrio subijcitur collatio, & privatio doni.

49. Hinc fit, quod, ut opera antecedentia peccatum possint meritorie movere Deum ad conferendam gratiam, & gloriam post remissum peccatum, non potest obesse interpositio peccati in genere causæ formalis destruentis vim meritoriam operum antecedentium, sed in genere causæ efficientis moralis demerentis talem collationem, quantum scilicet commissum post merita meretur, ut privetur homo donis aliis sibi debitis propter ipsa merita antecedenter habita, etiam pro tempore sequenti.

50. Probatur, quia sicut ipsa merita antecedentia primò elicit possunt movere Deum ad gratiam, & gloriam conferendam pro tempore sequenti antecedenter ad peccatum, in quo nulla est indignitas positiva impediens collationem talium donorum, ita possunt Deum movere ad eadem conferenda pro omni alio tempore posteriori, in quo nulla obstat indignitas collationi eorum, qualiter non obstat eorum collationi pro tempore antecedenti peccatum; sed peccatum interpositum, ut vidimus, non obstat causalitati meritorie operum ad conferendam gratiam pro tempore sequenti remissionem peccati in genere causæ formalis, sed solum efficientis moralis; sicut obstat non potest ad illam conferendam, & conservandam pro tempore antecedente peccatum; ergo peccatum interpositum solum demeritorie potest obesse gratiæ, & gloriæ post ipsum peccatum remissum conferendæ propter merita ipsum antecedentia.

51. Præmitto tertio, licet peccatum meritis superveniens possit demereri restitutionem gratiæ, & gloriæ post remissionem ipsius, possitque remissa culpâ manere in homine justo dignitas ad pœnam, & ad privationem præmii operibus antecedentibus peccatum promeriti, posse tamen Deum ita remittere peccatum quoad culpam, & quoad pœnam, ut nulla maneat dignitas in homine justo, ut eâ privatione præmii puniatur: imò de facto ita peccatum remittere.

52. Probatur prima pars primò à posteriori, quia sicut culpa, & dignitas ad odium inimicitie Divinæ est subjecta voluntati Dei, ita ei subjecta est pœna, & dignitas ad illam; sed Deus potest abolere culpam, & dignitatem ad odium inimicitie in illa consistentem; ergo etiam potest abolere pœnam & dignitatem ad illam. Secundò à priori, quia dignitas ad pœnam consistit formaliter in peccato præterito, & in non remissione, aut non satisfactione pœnæ: sicut dignitas culpæ, & inimicitie divinæ formaliter consistit in ipso peccato præterito, & in non remissione, aut non satisfactione culpæ; sed dignitas culpæ tolli potest à Deo per voluntariam remissionem ipsius; ergo etiam sic potest ab eo tolli dignitas pœnæ.

53. Probatur secunda pars, quia Deus de facto remittit culpam, delendo simul cum illa omnem dignitatem ad pœnam æternam; sed privatio gratiæ, & gloriæ pristina esset pœna, & æterna: pœna, siquidem, ut diximus, non potest induci ex peccato

tanquam effectus causæ formalis, sed tanquam effectus causæ demeritorie, & efficientis moralis: æterna, siquidem ea privatio duraret in æternum; ergo Deus de facto ita remittit peccatum, ut nullam relinquat dignitatem ad pœnam privationis gratiæ, & gloriæ antecedenter promeriti. Confirmatur, quia voluntas libera Dei debet colligi ex sacris Testimoniis, Conciliis, & Sanctis Patribus; sed ex his supra ostendimus, constare reditum eorum donorum; consequenterque liberam Dei voluntatem non privandi hominem justam eis donis antecedenter promeritis; ergo &c. His positus.

Probatur à priori reviviscencia meritorum: sicut quia opera antecedentia, post remissum peccatum superveniens, solum possunt peccato ipso impediti ad promerendam collationem gratiæ, & gloriæ, in genere causæ efficientis moralis, seu meritorie pœnæ, & non in genere causæ formalis immediate destruentis ipsorum vim meritoriam, ut constat ex dictis à num. 44. & à num. 47. sed eo genere non impediuntur, ut ostendimus à num. 51. ergo promerentur collationem gratiæ, & gloriæ post remissum subsequens peccatum. Consequentia est bona.

Dicent, hanc rationem concludere, non reditum meritorum, & dignitatis ad præmium, sed tantum reditum ipsius præmii, quatenus hoc juxta ea, quæ diximus num. 44. 45. & 46. potest conferri, & redire, licet actu non adsit, moraliter meritum, & dignitas ad præmium. Sed contra primò, quia ratio assignata concludit, merita antecedentia, eorumque dignitatem redire quoad suum esse virtuale, seu causalitatem præmii, quod solum hic intenditur, & contenditur; quidquid sit de eorum reditu quoad suum esse formale. Secundò, quia etiam quoad esse formale redire possunt; siquidem peccatum subsequens non destruit dignitatem formalem meritorum, licet destruat eorumdem sanctitatem, & bonitatem moralem, ut ex dicendis constabit; ergo &c.

Quoad secundam partem, cur scilicet demerita non redeant, sicut redeunt merita? Suppono primò, posse remitti, aut destrui malitiam moralem peccati habitualis, permanente ejus dignitate ad pœnam, non solum temporalem, sed etiam æternam, ut constabit ex infra dicendis à 3. licetque peccata remissa posse redire quoad dignitatem pœnæ, licet non redeant quoad malitiam, & culpam. Probatur, quia potest destrui malitia peccati, relicta absolutâ dignitate pœnæ; ergo etiam poterit destrui absolutè ea malitia, quin absolutè, sed solum conditionatè remittatur pœna, sed suspendatur, nempe sub conditione, quod iterum non peccetur; nam si remissio culpæ, & justificatio componi potest cum reatu absoluto pœnæ, facilius componi poterit cum eujusdem reatu conditionato.

Suppono secundò, si admittatur, merita interrupta peccato posse redire quoad dignitatem præmii, quin redeant quoad formalem ipsorum sanctitatem, & bonitatem moralem, nullum in præsentibus esse discrimen inter merita, & demerita quoad possibilitatem rei, sed solum quoad factum. Probatur prima pars, quia aut comparatio fit inter malitiam peccatorum, & bonitatem, ac sanctitatem meritorum: aut inter dignitatem bonorum operum ad præmium, & dignitatem malorum ad pœnam: Si primum, utraque est irredibilis, & absolutè mortua, sive justificatione, sive peccato superveniente: Si secundum, utraque potest redire: sed res, de qua in præsentibus controversatur, est reditus meritorum, & peccatorum, sive quoad malitiam peccatorum, &

& bonitatem meritorum; siue quoad dignitatem istorum ad præmium, & illorum dignitatem ad poenam; ergo in re, de qua in præsentem est disputatio, nulla est distantia, sed omnimoda convenientia quoad possibilitatem reinter merita, & demerita, si merita possunt redire quoad dignitatem ad præmium, quin redeant quoad bonitatem, ac sanctitatem moralem, de quo statim.

58. Probatur secunda pars, quia factum quoad reditum dignitatis ad præmium, vel ad poenam pendet ex voluntate divina remittente absolute peccatum quoad solam culpam, aut quoad culpam, & poenam æternam, ut constat ex supra dictis; sed constat de facto, Deum remittere peccatum quoad culpam, & poenam æternam; ergo de facto redit dignitas meritorum ad præmium, licet de facto non redeat dignitas peccatorum quoad poenam, in quo de facto distinguuntur.

59. Suppono tertio, posse merita absolute redire quoad dignitatem præmii, licet non redeant absolute quoad ipsorum bonitatem, ac sanctitatem moralem. Probatur primò, quia sicut se habet in peccato malitia moralis, & dignitas ad poenam, ita se habet in opere bono moralis bonitas, & dignitas ad præmium; sed in peccato potest perire malitia moralis, permanente dignitate ad poenam; ergo etiam in opere bono poterit perire moralis bonitas, permanente dignitate ad præmium.

60. Probatur secundò, quia bonitas moralis sumitur per affectum ad objectum honestum; sed moralis perseverantia affectus ad bonum honestum potest deficere, perseverante ejus dignitate ad præmium; ergo absque moralis perseverantiâ bonitatis moralis, potest perseverare dignitas ad præmium. Probatur Minor, quæ sola indiget probatione, quia perseverantia moralis affectus ad objectum honestum tollitur per affectum contrarium retractantem ipsius; siquidem moraliter, & prudenter non censetur voluntas affecta ad objectum, quod detestatur; sed post affectum contrarium amori honesto, & retractantem ipsius potest manere ipsius dignitas ad præmium; nam si justus decernat abstinere se à cibo licito propter honestatem temperantiæ, postea vero, instante occasione, affectus præsentia cibi abstinere nolit, retractat priorem affectum, quin perdat ipsius meritum, nec gratiam, ac gloriam illi correspondentem; ergo deficiente moralis perseverantiâ affectus boni honesti, potest perseverare ipsius dignitas ad præmium.

61. Probatur tertio à priori, quia ex pluribus affectionibus moralibus, quæ fundantur in eodem actu indivisibili, potest moraliter perseverare una, non perseverante aliâ, quando earum perseverantia moralis exigit conditiones essentielles diversas; sed bonitas moralis, & dignitas ad præmium secantentes eundem affectum justis exigunt conditiones diversas ad sui perseverantiam moralem; siquidem bonitas, quæ ex affectu honesti sumitur, vindicat non retractationem affectivam ipsius, siue formalem, siue virtuales; dignitas vero ad præmium, quæ sumitur ex obsequio justis semel Deo facto, & ipsum movente ad remunerationem præmii, solam exigit non indignitatem subiecti; ergo ubi hæc per justificationem tollatur, poterit moraliter redire dignitas operis ad præmium, licet non ita redeat ipsius bonitas moralis.

62. Probatur Major, quæ sola indiget probatione, variis exemplis: Primò, quia ex voto obedientiæ manet quis moraliter affectus in observantiam præceptorum Prælati, & obligatus Deo ad illam opere implendam; & tamen violato voto per inobe-

Tom. 2.

dientiam, deperditur moralis perseverantia affectus parendi Prælati, & perseverat obligatio parendi; siquidem ad illam requiritur non retractatio illius per affectum contrarium, & ad hanc solam non dispensatio, aut irritatio illius; ergo &c. Secundò, quia ex consensu pravo ad contractum humanum, manet injuria in Deum, & obligatio hominis; & tamen justificatione potest tolli injuria Dei, manente obligatione erga hominem; & è contra, mutuo contrahentium consensu potest tolli obligatio erga hominem, manente injuriâ Dei; siquidem hæc exigit ad perseverantiam non condonationem Dei, & illa non rescissionem contractus, quæ sunt ab invicem separabiles; ergo &c. Tertio, quia ex contumelia homini facta confurgit injuria Dei, & hominis; & tamen potest, condonante Deo, & non homine, manere injuria hominis absque injuria Dei, & condonante homine & non Deo, manere injuria Dei absque injuria hominis; sicque in aliis pluribus exemplis, quæ adduci poterant; ergo &c. Advertes tamen hic, me non negare, bonitatem moralem operis redire, sed solum ostendere, ejus reditum non esse necessarium ad reditum dignitatis meritoria, neque alterum altero dependere His suppositis.

Colliges primò ad tuendum reditum meritorum, seu dignitatis operum bonorum ad præmium, opus non esse assignare discrimen inter opera bona, & mala, in quo constituendo maxime hæc laborant Theologi; siquidem licet concedamus per subsequens peccatum extingui omnino bonitatem morale operum; sicut per subsequentem justificationem extinguitur omnino peccatorum malitia, quod solum evincit paritas peccatorum contra reditum meritorum: adhuc tamen defendi potest reditus meritorum, siue dignitatis operum ad præmium.

Probatur, quia peccata per subsequentem justificationem non extinguuntur necessariò quoad dignitatem, & meritum poenæ, sed tantum quoad malitiâ culpæ; ac proinde possunt redire quoad dignitatem poenæ, licet fuerint omnino extincta quoad malitiam culpæ, ut supra ostendimus n. 56. sed bona opera possunt similiter per subsequens peccatum non extingui, sicque redire quoad dignitatem præmii, licet extinguantur, & non redeant quoad moralem bonitatem, ac sanctitatem, ut etiam supra ostendimus n. 59. ergo nullum est discrimen in præsentem quoad reditum dignitatis, & meriti inter bona, & mala opera per ordinem ad præmium, aut ad poenam.

Colliges secundò, in præsentem quaestione, quæ tota est de reditu bonorum operum quoad meritum, & dignitatem præmii, posse admitti omnino paria esse bona, & mala opera. Probatur, quia dato, quod possint admitti paria quoad mortem, & extinctionem bonitatis, & malitiæ moralis, ut vidimus, etiam possunt admitti paria quoad solam mortificationem, & reditum dignitatis, ac meriti; nam sicut peccatum subsequens solum mortificat dignitatem præmii, & non extinguit, ita justificatio subsequens potest solum mortificare, & non extinguere dignitatem poenæ: deinde sicut justificatio subsequens potest extinguere omnino culpam, & poenam, & de facto utramque extinguit, utente Deo pro libitu suâ magnâ misericordiâ; ita etiam peccatum subsequens potest extinguere omnino & bonitatem, & dignitatem operum ad præmium, si velit uti Deus rigore justitiæ vindicativæ, & solum remittere culpam absque remissione poenæ, licet de facto eo rigore non utatur.

Colliges tertio, non esse cur implicemur, sicut

R r r 2

com.


communiter implicantur Theologi, in statuendo discrimine inter opera bona, & mala quoad reditum bonitatis, & malitiae, ut probemus reditum meritorum ad primum: tum quia ad reditum meritorum, & dignitatis ad primum, de quo est praesens quaestio, non est necessarium huiusmodi discrimen assignare: tum etiam, quia tota doctrina Scripturarum, Conciliorum, & Sanctorum Patrum supra adducta à n. 6. (ut eam recolenti palam constabit,) solum probat, & evincit restitutionem praemii, & dignitatis ad illud, quin de restitutione bonitatis, & sanctitatis actualis operum mentionem faciat. Igitur:

67. Conclusio sit: Bona, & mala opera quoad possibilitatem reditus praemii, & poenae sunt paria: quoad actum verò disparia. Prima pars constat ex dictis à num. 51. & 57. & constabit ex infra dicendis d. 3. Probat secundum partem, quia factum pendet ex libera voluntate Dei, quae cum prior sit in misericordiam, quam in vindictam, peccata omnino extinguit quoad culpam, & poenam aeternam; merita autem largè remunerat quoad reditum dignitatis ipsorum ad gratiam, & ad gloriam; ergo &c.

68. Haec quidem est ratio, ex qua, & ex omnibus haecenus adductis promptum erat instaurare, & confirmare omnes alias rationes, quas supra adduximus, & minus efficaces censuimus ad probandum meritorum reditum ad gratiam, & gloriam; superior enim explicatio eis adjuncta firmiores, & validiores eas efficeret: quia tamen prolixus hic labor esset, facile erit consideranti ex principiis adductis rationes illas firmare, & stabilire.

SECTIO IV.

Proponuntur argumenta in contrarium, & dissolvuntur.

69. RGUES 1. Ex illo Ezechiel. 18. ibi: Si avererit se justus à justitia sua, & fecerit iniquitatem, omnes justitiae ejus non recordabuntur; ergo &c. Respondeo primò, non recordari, durante statu peccati; hoc autem non tollit, quominus recorderetur, & merita reviviscant, peccato per poenitentiam sublato. Respondeo secundò, ibi non agi de justo peccante, & per poenitentiam respiciente, sed in peccato usque ad mortem obstinate perseverante, de quo statim additur: *In peccato suo morietur.*

70. ARGUES 2. Ex Trid. sess. 6. cap. 16. ibi: *Bene operantibus usque in finem proponenda est vita aeterna, & tanquam gratia filii Dei misericorditer promissa, & tanquam merces bonis ipsorum operibus, & meritis fideliter reddenda.* Et can. 26. *Justos, inquit, debere pro bonis operibus expectare retributionem, si bene agendo, & divina mandata custodiendo usque in finem perseveraverint;* ergo solis operibus justorum conservantium gratiam sine interruptione peccati, promissa, & reddenda est vita aeterna. Respondeo primò cum P. Aegid. d. 2. de Poenit. dub. 20. n. 168. P. Ripal. tom. 2. d. 91. sess. 6. n. 47. P. Soar. Lustr. tract. 1. de Poenit. d. 4. n. 406. & aliis, Trid. cit. utrobique ad retributionem, & meritum vitae aeternae non exigere perpetuum, sed finale perseverantiam gratiae, qualem Christus Dominus exigit Matt. 24. dum dicit: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit:* eam autem habet quisquis, etiam post multa peccata, in stata gratiae decedit ex hac vita. Haec solutio est communis, & solvit

quidem argumentum.

Non tamen mihi placet, ut potè quae non videtur juxta mentem Concilii, siquidem verba illa: *Si bene agendo: & usque in finem perseveraverint:* videntur denotare continuationem, & perseverantiam bonorum operum; non autem continuat, neque perseverat usque ad finem vitae bene operando ille, qui post Baptismum, & pauca merita, gratiam amittit, & gravissimis peccatis se immiscet, & in fine vitae respicit, ac per poenitentiam gratiam, in qua decedit, recuperat. Accedit, quod nomen *perseverantia* indicat longam moram temporis; ergo qui post totam ferè vitam in peccato transactam, immediate ante mortem ad veram poenitentiam reversus, salutem assequitur, non dicitur proprie loquendo perseverare; ergo solutio non est ad mentem Concilii. Igitur:

Respondeo secundò, & melius, propositionem illam Concilii esse affirmativam, nempe, quod si justii perseveraverint usque in finem infallibiliter futurum, ut assequantur aeternam retributionem, quam proinde merito possunt sperare: non tamen ideò negare posse aliter etiam salutem sperare; siquidem qui unum affirmat, alterum non negat. Undè tam perpetuo perseverantes, & primam gratiam conservantes, quod affirmat Concilium, quam qui post lapsum respiciunt, & in gratia decedunt, salutem assequuntur, quod non negat, imò etiam affirmat dum ibidem adjungit: *si in gratia decesserint.* Et confirmatur, quia uterque modus assequendi salutem constat ex Scriptura: Primus Marth. 24. cit. Secundus Ezechiel. 18. *Si impius egerit poenitentiam vita vivet.*

ARGUES 3. Si merita peccato interrupta reviviscerent per subsequentem poenitentiam, aut reviviscerent in se, aut in acceptatione divina: Non primum, quia in se non sunt: Non secundum, quia etiam merita damnatorum, quae antea habuerunt, sunt in acceptatione divina, quin tamen reviviscant; ergo cum ex hoc non reviviscant merita justorum peccato interrupta, neque appareat quo pacto possint, & debeant reviviscere, nullo modo reviviscunt. Respondeo negando antecedens quoad secundam partem; reviviscunt enim in acceptatione divina. Unde ad probationem datur diversa ratio, nam diverso modo manent diversa illa merita in acceptatione divina; siquidem merita praedestinatorum, etiam quae per peccata mortificantur, dicuntur videri, & acceptari à Deo in primum infallibiliter conferendum, & ut vivificanda per poenitentiam futuram, & gratiae satisficientem: at verò merita damnatorum non ita acceptantur à Deo, quatenus per illa consecuturi sint primum gratiae finalis, & gloriae, in quo est maxima diversitas utriusque acceptationis.

ARGUES 4. Non apparet modus, quò talia merita reviviscant; siquidem non reviviscunt ex justitia, neque ex misericordia independenter, neque dependenter à voluntate Dei: non adaequatè quoad totum primum, cum non semper adsit dispositio toti primum adaequata: non inadaquatè quoad partem praemii, cum non detur major ratio de reditu unius partis, quam alterius; ergo nullo modo redeunt, cum alius non appareat. Respondeo negando antecedens, & ejus probationem, infra enim dicemus quomodo redire possunt ex justitia, aut ex misericordia: ex natura rei, aut ex voluntate divina: adaequatè, aut inadaquatè quoad totum, aut partem praemii.

ARGUES 5. Omnia peccata sunt ejusdem malitiae, & efficaciae cum peccato finali ad extinguenda me-